

rides legendas et similia, licet postea, occasione allectus, aliquid ederet vel biberet: probabiliter etiam qui cum intentione edendi, etc. ingressus, eam ad effectum non perduceret. (N. R. Th. t. V. p. 348 seqq.)

2<sup>o</sup> Censura non incurritur ab eo qui ingressus est sine plena deliberatione, vel dubitans num causa excusationis adesset: nam poenae huic gravissimae proportionata non est culpa theologice levis. Cfr. n. 568.

3<sup>o</sup> Poena haec afficit tantum clericos dioecesis Mechliniensis, vel in ea degentes seu in ea domicilium vel quasi-domicilium habentes, qui ingrediantur tabernam in territorio ejusdem dioecesis sitam. Cfr. Vol. I. n. 94 et Vol. II. n. 567.

4<sup>o</sup> Suspendio haec a divinis reservata est episcopo. Ut autem declaravit Em. Archiep. Mechliniensis litteris datis 7 Aug. 1897, ab ea absolvere nequeunt omnes sacerdotes quibus concessa fuit facultas absolvendi a reservatis, sed ii tantum quibus insuper concessa fuit facultas absolvendi a casibus pontificiis. Adverte, in quibusdam circumstantiis, quae enumerantur in folio facultatum pro confessionibus, omnibus confessariis concedi ut a casibus pontificiis absolvant.

44. IV. Prohibentur clerici quominus spectaculis turpibus assistant, quae in scaenis vel alibi exhibentur. Ita communiter interpretantur DD. (Reiffenst. in l. 3. Decr. t. 1. n. 142; Bened. XIV, de Syn. l. 11. c. 10. n. 11 seqq.) statutum Conc. Lat. IV: "Clerici... mimis, jocularibus et histrionibus non intendant." Quatenus spectacula in specie vitanda sint, pressius determinari solet legibus dioecesanis. In Mechl. sub poena suspensionis i. f. incurrendae, sed nemini reservatae, prohibetur theatrorum publicorum ingressus, spectaculi videndi causa. Cfr. Conc. Balt. III. n. 79.

Multa alia in Jure Canonico clericis prohibentur: quae omitimus, eo quod minus practica sunt, et praestat remittere ad statuta particularia locorum, quibus eadem clarius proponi solent. (1)

#### § 7. DE RECITANDIS HORIS CANONICIS.

45. Inter praecipuas clericorum obligationes recensenda est recitatio Horarum Canoniarum seu officii divini.

(1) De usu rotae quae vulgo audit *velocipède*, nulla generalis prohibitio ab Ecclesia hucusque prodiit. Illum plures episcopi in sua dioecesi prohibere clericis: inter quos Episc. Szathmariensis in Hungaria, cujus decretum laudavit S. C. Ep. et Reg. litt. ab Em. Praefecto d. d. 28 Sept. 1894, eo quod "prohibitio hujusmodi non solum liberat a corporis periculis sacerdotes ipsos, sed scandala avertit a fidelibus et irrisorem ipsorum sacerdotum." (Act. S. S. t. 27. p. 437)

Non immorabimur exponendis variis partibus quibus Horae Canonicae constant, siquidem haec notitia facile ex ipso Breviario hauriri potest. Neque inhaerebimus variis formis quas, decursu saeculorum, sollemnis illa oratio induit; de quibus videsis: *Histoire du Bréviaire Romain*, par l'abbé Battifol. Satis erit nobis vigentem disciplinam exponere.

#### Punctum I. Qui ad Horas recitandas obligentur.

##### 46. I. Ad Horas Canonicas tenentur sub gravi:

1<sup>o</sup> *Qui S. Ordinem susceperunt*. Constat ex antiquissima Ecclesiae consuetudine, quam supponunt Cap. *Dolentes* de Celebr. Miss. datum ab Innoc. III in Conc. Lat. IV (1216) et Bulla S. Pii V, *Quod a nobis* (9 Julii 1568).

Incipit haec obligatio a momento ordinationis et proinde, secundum communem AA. interpretationem, ab ea parte officii diurni quae respondet horae diei qua ordinatio facta est. Ita qui ordinatur inter horam sextam et nonam, tenetur recitare Tertiam et sequentes Horas, siquidem Tertia nostrae horae nonae respondet. Probabiliter satisfacit subdiaconus qui partem illam, ad quam tenebitur, mane recitat, antequam ordinatus est: quia anticipate solvi potest debitum quod morali certitudine contrahendum est. (S. Alph. l. 5. n. 140)

2<sup>o</sup> *Clerici beneficium ecclesiasticum possidentes*. Haec obligatio urgetur Const. *Supernae dispositionis* data a Leone X in Conc. Lat. V et Const. *Ex proximo*, S. Pii V. (20 Sept. 1571) Supponit autem verum beneficium ecclesiasticum pleno jure possideri, ita ut fructus inde percipiantur vel certe percipiendi sint.

Eandem legem multis explicant AA. antiquiores, ex. gr. S. Alph. (n. 114 seqq.): eam tamen hic praetermittimus, utpote a praxi alienam, cum in regionibus nostris nulli occurrant beneficiati qui non sint in Sacris constituti, ac propterea jam aliunde ad officium divinum obligati.

3<sup>o</sup> *Religiosi utriusque sexus ad chorum destinati et sollemniter professi*. De hac obligatione clare constat ex antiquissima consuetudine qua religiosi illi hanc Horarum recitationem persolverunt, etiam cum magno incommodo suo, tamquam officium quod sine gravi culpa omittere non potuissent. (Vol. I. n. 128) Quare jam hodie unanimes (ut videtur) AA. relinquunt sententiam paucorum veterum, gravem illam obligationem negantium. (S. Alph. n. 142)

Non tenentur tamen ad privatam recitationem ii qui vota tantum simplicia emisere in Ordinibus votorum sollemnum, ut declaravit S. C. super Statu Regul. 6 Aug. 1858 (Coll. Bizz. p. 908), etiamsi hanc recitationem regula praescribit, ut in Ordine Minorum. (S. C. Ep. et

Reg. 24 Martii 1882) Insuper patet talem obligationem non exstare ubi deficit consuetudo quae eidem fundamentum praebet, vel ubi praescribitur tantum recitatio parvi Officii B. M. V.

Momentum a quo incipit haec obligatio est sollemnis professionis emissio. Cfr. dicta de susceptione s. ordinis.

**47. II. Unicum peccatum** committit qui violat hanc obligationem, etiamsi ad eam ex duplici vel triplici titulo tenetur: quia in singulis obligatio oritur ex eadem virtute religionis. Cfr. Vol. I. n. 163.

**III. Beneficiati** recitationem Breviarii omittentes speciali feriuntur poena, quam breviter explicasse juvabit:

1<sup>o</sup> Beneficiati qui, elapsis sex mensibus post adeptam beneficii possessionem, officium omittunt, fructus beneficii jam *non faciunt suos* ideoque eos restituere debent, ante omnem sententiam iudicis. (cit. Const. *Supernae*, § 38) Non oritur haec restituendi obligatio ex iustitia, sed e jure positivo quasi poena conventionalis. (D'Annib. III. n. 65)

2<sup>o</sup> Haec restitutio facienda est pro singulis diebus, immo et pro singulis Horis omissis, et quidem fabricae Ecclesiae vel beneficii, e qua supponuntur oriundi fructus, vel pauperibus. (cit. Const. *Ex proximo*)

3<sup>o</sup> In regionibus nostris fere semper habebitur ratio excusans a restitutione. Nam hic fere nulli alii beneficiati occurrunt nisi parochi; bona autem quae tamquam fructus beneficii habenda sunt (Vol. I. n. 475) valde exigua sunt. Jamvero, juxta sententiam multorum DD. quam et S. Alph. (n. 673) probabilem censet, in beneficiis curatis potior pars reddituum assignatur in compensationem aliorum officiorum quibus fungitur beneficiatus.

Ideo parochus qui sacramenta administrat, catechismum tradit et alios plures labores peragit, privandus non est omnibus redditibus beneficii sui, eo quod recitationem officii divini praetermisit. Immo, si beneficiales fructus vix aut ne vix quidem sacerdoti alendo sufficiunt (ut in regionibus nostris contingit), is ab omni onere restitutionis videtur eximendus. (Ball. P. n. 166)

**48. IV. Religiosi** qui, vi professionis suae, ad officium divinum obligantur, non tenentur tamen sub gravi illud in choro recitare, sed privata quoque recitatione satisfaciunt. Communitati autem incumbit obligatio ut Horae in choro persolvantur, dummodo numerus sufficiens religiosorum adsit: qui numerus, juxta sententiam probabiliorem, poscit quattuor religiosos ad chorum aptos et nullo legitimo impedimento detentos. In hoc numero computandi sunt professi, etiam votorum simplicium, non autem novicii. Graviter ergo peccaret Superior, tamquam caput communitatis, si negligentia sua permetteret ut pars notabilis

divini officii non recitaretur in choro. (S. Alph. n. 143) Ceteroquin plura particularia statuta de hac magni momenti obligatione reperiri solent in Constitutionibus singulorum ordinum. Videsis Piatum, Praelect. Jur. Reg. t. I. p. 310 seqq.

Ex iis omnibus qui divinas laudes in choro cantant, unum corpus morale conflatur, cujus singula membra reliquorum opera juvantur. Ideo nihil supplere debent qui, psallentibus reliquis, organa pulsant, libros transferunt et similia peragunt choro necessaria. Idem probabiliter dicendum de eo, qui, dum alii recitant, tussit vel exscreat, etiamsi integer psalmus interim dicatur. (S. Alph. l. c.) Neque videtur aliquid supplendum ab eo qui tardius, Hora jam inchoata, ad chorum venit, dummodo non multum in choro processum sit: quia, sicut in Missae auditione, ita et in officio Canonico omissio modici aestimari non solet, praesertim cum, propter societatis vinculum, ceteri cantantes unius defectum supplere censeantur. (Laymann, l. 4. tr. 1. c. 5. n. 7; Ball. P. n. 158)

#### Punctum II. Qualis et quanta sit haec obligatio.

**49. I. Graviter peccat** quisquis, hac lege adstrictus, **partem notabilem** divini officii culpabiliter recitare omittit. Pars autem notabilis censetur integra Hora, etiam ex parvis, ut Tertia vel Nona, vel tractus continuus integrae parvae Horae aequivalens.

Ratio praecipua utriusque partis hujus asserti est in interpretatione consuetudinaria, quam testatur communissimus DD. consensus. In omissione Horae integrae accedit ratio notabilis difformitatis inductae in orationem illam, quam Ecclesia, tamquam laudem Dei moraliter continuam, in septem partes distribuit. (S. Alph. l. 5. n. 147) Quare nonnulli (ut Ball. P. n. 187) censent aliquid amplius requiri ad constituendam culpam gravem, quando non omittitur Hora integra. Ita gravis censenda est omissio novem lectionum cum responsoriis; levis, omissio trium cum responsoriis. Insuper grave peccatum non esset omissio multarum particularum hinc inde in toto officio, etiamsi omnes simul sumptae parvam Horam aequarent.

Prorsus antiquata est opinio eorum qui autumabant graviter peccare eum qui omittat dimidiam vel tertiam partem Horae parvae; nam, licet haec omissio notabilis sit relate ad parvam Horam, exigua est relate ad totum officium, quod integrum cadit sub unico Ecclesiae praecepto. (S. Alph. l. c.)

**II. Qui ex actu voluntatis moraliter uno totum officium omittit, unum peccatum tantum committit**, ac proinde non obligatur ad sponte declarandum in confessione quot Horas ita omiserit.

Ratio est, quod totum officium unius diei cadit sub unum praeceptum. Gravius quidem peccatur si plures Horae omittantur : sed circumstantiae mere aggravantes non sunt necessario in confessione exprimendae. (n. 286) Plura tamen peccata patret qui plures Horas omitteret ex intentionibus moraliter interruptis. (Vol. I. n. 166)

50. III. Qui dubitat num aliquid de officio omiserit, non tenetur ad istud supplendum, dummodo habeat rationem probabilem existimandi se jam satisfacisse. Talem autem rationem habet qui, licet non meminerit se recitasse aliquem psalmum, lectionem, etc., tamen recordatur se illa incepisse et postea, sine interruptione vel voluntaria distractione, se ipsum in fine hujus psalmi, lectionis, etc., deprehendit. Praesumptio enim quod soleas perficere quod incepisti, efficit ut nihil tenearis repetere, nisi sis moraliter certus quod non dixeris. Similiter dicendum de eo qui Horam aliquam recitavit, dubitat vero num praecedentem recitaverit. Cfr. Vol. I. n. 77, III.

IV. Hodie ii fere omnes qui tenentur ad officium divinum, uti debent **Breviario Romano** et quidem tam stricte ut, alio breviario utentes, obligationi suae minime satisfaciant. Liqueat ex Const. *Quod a Nobis*, qua S. Pius V abolevit omnia alia breviaria, quae, ex institutione vel consuetudine legitima, ducentos annos non superabant.

Attamen cum in choro, tum in recitatione privata, recitanda sunt officia quae legitime a S. Sede alicui dioecesi vel ordini religioso concessa sunt : neque enim singulis libertas manet dissidendi a corpore morali cui subjacent.

Lectiones ex integro vel ex parte reformatae inseri quidem debent in novis breviariis, sed non obligant eos qui, juxta breviarium quod habent, officium recitant. (S. C. R. 14 Dec. 1883; Buccer. Enchir. p. 56)

V. De quibusdam **partibus accessoriis** officii haec breviter notentur :

1° Nulla jam est obligatio privatim recitandi *Officium B. M. V.* et *Psalmos poenitentiales* vel *graduales*, iis diebus quibus ista in Breviario assignantur. Idem generatim valet de recitatione in choro, nisi adsit consuetudo eas partes accessorias recitandi. (Lehmk. II. n. 622)

2° *Officium defunctorum* sub gravi recitandum est in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum, vel pridie post recitatum Matutinum et Laudes diei occurrentis. (S. Alph. n. 161) Reliquis diebus, de Officio defunctorum dicendum ut de ceteris partibus accessoriis.

3° Certe datur obligatio recitandi *Litanias* ipsis diebus S. Marci et Rogationum, non pridie. Immo gravem esse hanc obligationem communiter docent AA. (S. Alph. l. c.) Multi tamen e veteribus id, saltem

probabiliter, leve arbitrabantur : quorum sententiam S. Alph. non ausus est dicere improbabilem et plures ex optimis AA. recentissimis nequaquam rejiciunt. (Ball. P. n. 217 ; D'Annib. III, n. 147. nota 18) Reapse enim deest probatio, non quidem obligationis, sed obligationis gravis. Practice igitur qui Litanias omitteret non esset de mortali arguendus, cum res sit intrinsece et extrinsece dubia.

4° Ob orationis brevitatem non videtur graviter peccare qui totas Vesperas omitteret Sabbato Sancto. (S. Alph. n. 147)

51. VI. Si quis ex errore unum officium pro altero recitavit, obligationi satisfacit : reapse enim recitatum est officium juxta Breviarium Romanum (ut supponitur), neque, deficiente ulla culpa, aequum esset onus repetendi imponere. Hinc vulgaris regula : *officium pro officio*. Quodsi officium recitandum notabiliter longius erat, puta officium Dominicæ prae recitato officio de Sancto, S. Alph. (n. 161. q. 3.) cum aliis rationabile censet ut fiat compensatio, ex. gr. recitando novem psalmos ex primo Nocturno. Attamen haec non videtur stricta obligatio : siquidem integrum officium juxta ritum Romanum recitatum est, neque illud supplementum partem illius efficere potest. (Ball. P. n. 218)

Si quis errorem suum advertit postquam jam *notabiliter* in officio indebito processit, puta post absolutum Matutinum, liberum est vel proseguere in eodem, vel reliquum recitare de officio debito. (S. Alph. n. 161. q. 5)

Postquam ex errore recitatum est officium nondum occurrens, idem, juxta probabiliorem sententiam, repetendum est quando reapse dies assignatus advenit. Ita respondit S. C. R. 17 Jun. 1673. (Coll. S. R. n. 1477) Potest tamen ista die recitari officium illius sancti qui ex errore omissus est, ut S. Alph. (l. c.) non improbabile censet et probabile opinantur Ball. P. (n. 218) et Lehmk. (II. n. 626). Nam communis ritus postulat ut etiam illius sancti omissi officium semel quotannis recitetur, minime vero ut bis de eodem dicatur.

VII. Si deest **officium recitandum**, suppetit vero aliud ex Breviario Romano, istud recitandum est. Nam habetur obligatio virtualiter duplex : altera cotidie recitandi officium ex isto Breviario, altera recitandi officium calendario designatum. Si huic posteriori satisfieri nequit, manet tamen implenda prior obligatio. (Ball. P. l. c.)

52. VIII. Mortaliter peccaret qui, absque necessitate, officium calendario assignatum **mutaret** in aliud quod *simul* esset notabiliter brevius et ritus prorsus diversi. Constat ex damn. ab Alex. VII Prop. 34<sup>a</sup> : „ In die Palmarum recitans Officium Paschale satisfacit praecepto. „ Ideo

saltem universaliter admitti nequî quod opinantur Lessius (de Just. et J. I. 2. c. 37. n. 77) aliique plures : substantiam praecepti impleri, quodcumque officium e Romano Breviario dicatur.

**IX.** Quando mutatio officii assignati sponte fit in aequale vel fere aequale, probabile est id non excedere culpam venialem. Id S. Alph. (n. 161. q. 3) *aequius* censet dummodo raro fiat, puta ter vel quater in anno : immo et satis probabilem habet sententiam gravium DD. ut Suarezii, Laymann, etc. hanc mutationem a gravi excusantium, etiamsi crebro fiat. Horum ratio erat : Pontificem in assignanda forma specifica pro recitatione Breviarii potius respexisse ad quantitatem, tamquam formam substantialem, quam ad qualitatem officii, quae est forma accidentalalis, sive modus recitandi. Id probabile manet, etiamsi ritus esset plane diversus, ut si in Natali Domini recitares officium de Passione (D'Annib. III. n. 148)

A peccato autem levi haec immutatio immunis erit, si raro fiet et ob causam rationabilem, puta ob causam itineris vel specialis devotionis erga aliquem sanctum. (S. Alph. l. c.)

**X. Peregrini**, dum extra patriam vel dioecesim versantur, conformari possunt officio loci in quo morantur ; at si beneficiati sunt, tenentur semper ad officium propriae ecclesiae. (S. C. R. 12 Nov. 1831 ; Coll. S. R. n. 2680)

Regulares ab uno monasterio ad aliud pergentes, in itinere officium domus e qua discesserunt, sequi tenentur ; qui vero extra coenobia degunt, puta contionatores quadragesimales, tenentur se conformare calendario Provinciae suae, sine ulla ex iis diversitatibus quae variarum domorum sunt propriae. (S. C. R. 31 Aug. 1839 ; Coll. S. R. n. 2801) Quodsi iidem ad aliquot dies in alia domo sui ordinis versantur et choro addicti sunt, tenentur officium cum reliquis in choro persolvere. (S. C. R. 25 Sept. 1852 ; Coll. S. R. n. 3001) Ubi vero privatim Horas recitant, sequantur oportet calendarium domus ad quam pertinent, saltem si ad aliquot dies tantum extra eandem versantur. (S. C. R. 27 Jun. 1896 ; N. R. Th. t. 28. p. 677) Tandem si ad longum tempus, puta integrum mensem, versantur in alia domo, cui tamen addicti non sint, videntur posse sequi hujus domus calendarium, prout supra de peregrinis dictum est.

**Punctum III. Quo tempore recitandae sint Horae.**

**53. I.** Officium divinum est **onus diei**, cujus obligatio cum die naturali incipit et desinit. Attamen Matutinum et Laudes vespere diei praecedentis recitare licet : quae facultas, juxta communem AA. sen-

tentiam, rationem habet privilegii, quo nemo uti tenetur, etiamsi praevideat se postridie impeditum fore quominus Horas recitet. (Vol. I. n. 147)

Quidam vero AA. censent tempus, e primaeva consuetudine statutum ad recitandum officium nocturnum (Matutinum et Laudes), fuisse noctem integram, incipientem a tenebris diei praecedentis. Divisio enim officii nocturni in quattuor partes (tres Nocturnos et Laudes), ubi festa celebrantur, indicat solitos fuisse clericos vel monachos partem illius recitare in singulis vigiliis noctis, ea fere ratione qua officium diurnum non uno tractu dicitur, sed in plures partes dispescitur. (1) Hinc sequeretur facultatem recitandi hanc partem officii ab occasu solis diei praecedentis ex ipsa lege oriri, ideoque eum qui praevideret se postridie impeditum iri quominus Horas recitaret, teneri post occasum solis ad officium nocturnum persolvendum. At talis consuetudo integrae noctis orationi impendendae probabilius numquam exstitit, siquidem vires humanas superat ; documentis autem ex antiquitate remanentibus potius innuitur morem fuisse ut uno tractu tum Nocturni, tum Laudes canerentur. Cfr. Battifol, op. cit. p. 99.

**II.** Obligationis **substantiae** satisfacit quicumque integrum officium recitat a media nocte ad mediam noctem.

Igitur venialiter tantum peccat qui ordinem inter Horas invertit vel horam rubrica statutam non servat. Immo talis inversio vel mutatio omni culpa vacat si fit ob causam rationabilem, puta quia Horae diurnae tantum prae manibus habentur, ut cum socio magis profecto recitetur, etc. Sufficit juxta S. Alph. (n. 173) quaevis causa honesta vel utilis, qualis est contio audienda vel paranda, major devotio sive quies, tempus aptius ad studendum, timor ne superveniat aliquis labor vel occupatio, non tamen sola major commoditas recitantis.

**54. III. Matutinum et Laudes** ex Rubricarum praescripto recitanda sunt antequam Sacrum celebretur. (Ritus serv. in celebr. Missae, tit. I)

Quanta inde oriatur obligatio disputant Theologi. Jam derelicta est quorundam veterum, ut S. Antonini, sententia, qui illam gravem existimabant. Plerique hodie sequuntur S. Alph. (l. 6. n. 347), qui transgressionem hujus rubricae existimat esse peccatum veniale, quia in missali inter defectus numeratur. Nec desunt qui, ut Ball. P. (n. 238), etiam illam culpam venialem abesse autument. Rationem afferunt : totam illam obligationem desumi ex rubrica, ac proinde, ut probetur S. Alph.

(1) Videsis D. Gebruers : *De l'anticipation des Matines et des Laudes à deux heures après-midi* (1889), vel Ball. P. n. 247. notam.

sententia, admittendum esse, quod multi probabiliter negant (n. 250), omnes rubricas, etiam illas quae non pertinent ad ipsius Sacri celebrationem, sub levi obligare. Nec obstat quod omissio illa inter defectus reponatur. Nam inter defectus reponitur quidquid omittitur e rubricis antea descriptis: "Possunt etiam defectus in ministerio ipso occurrere, si sacerdos ignoret ritus et caerimonias ipsas in eo servandas: de quibus omnibus in superioribus Rubricis copiose dictum est." (De defectibus in celeb. Missarum occurrentibus, ad calcem)

Practice non multum refert utra e duabus postremis sententiis eligatur. Nam, etiam in opinione S. Alph., a culpa veniali excusatur quaelibet mediocris causa rationalis, puta "si exspectet populus aut aliqua persona gravis, si superior praecipiat, tempus celebrandi transeat vel instet commoditas studii, itineris et similia." (S. Alph. l. c.)

**55. IV.** Matutinum et Laudes pridie anticipari possunt in recitatione privata ab hora qua "sol medium cursum tenet inter meridiem et occasum." (S. C. R. 16 Mart. 1876) Qui ea citius, absque causa rationali, recitaret, levem culpam admitteret, ut inter omnes fere AA. convenit. Hinc varium est tempus huic recitationi proprium pro variis locis annique temporibus: quod tabellis dioecesanis indicari solet.

Multum autem controvertitur num satisfaciatur obligationi suae ideoque gravi culpa immunis sit qui, absque speciali S. Sedis privilegio vel locali consuetudine, Matutinum et Laudes quolibet anni tempore inchoet hora secunda pomeridiana.

Communior sententia negat ideoque recitationem iterandam esse tenet. Hanc secutus est S. Alph. in suis *Retractionibus*, tamquam veriore, et erudita dissertatione propugnavit Ill. Waffelaert. (N. R. Th. tt. 19 et 20)

Affirmat sententia multorum tum veterum, tum recentiorum, cujus probabilitatem aestimamus sequentibus argumentis constare (1):

1<sup>o</sup> Omnium consensu incipit dies ecclesiasticus a Vesperis. Etenim, ut scribit S. Thomas (Quodlib. 5. a. 28): "Quantum ad contractus et alia hujusmodi, dies incipit a media nocte; sed quantum ad ecclesiasticum officium et solemnitatum celebritates, incipit dies a vespere; unde si aliquis post dictas Vesperas et Completorium dicat Matutinum, jam hoc pertinet ad diem sequentem." Tempore autem Vesperarum intellegitur tempus aptum ex consuetudine ad publicam recitationem Vesperarum in ecclesiis. Jamvero ex consuetudine, etiam Romae recepta (cfr. Beringer: *Les indulgences*, etc. p. 80), tempus aptum ad talem recitationem, etiam in aestate, est hora 2<sup>a</sup> pomeridiana. Ergo qui recitat Matutinum

(1) Haec fusius evolvunt D. Gebruers (Diss. cit.) et P. Villada in responso ad Dissertationem Ill. Waffelaert. (N. R. Th. t. 20. p. 510 seqq.)

et Laudes, etiam in aestate, hora 2<sup>a</sup> pomeridiana, ea recitat in ipso die ecclesiastico ideoque satisfaciatur.

2<sup>o</sup> Tot tantique auctores hanc benigniorem sententiam tenent ut, nisi eorum ratio evidenter refellatur (quod non contingere existimamus), probabilitatem extrinsecam fundent.

Ita inter veteres eminent Sanchez (Cons. Mor. l. 7. c. 2. dub. 37), qui primus horam hanc diserte determinavit, et Salmant. (tr. 16. c. 3. n. 15), qui, teste S. Alphonso, moralem scientiam egregie pertractant. Horum aliorumque plurium auctoritate permotus, S. Alph. (Th. Mor. Ed. 1748, l. 4. c. 2. a. 4. dub. 2. nota D.) opinionem illam probabilissimam vocavit. Inter recentes AA. saltem probabilitatem illius agnoscunt Ball. P. (n. 240 seqq.) D'Annib. (III. n. 150. nota 32), Frassinetti (Th. Mor. II. n. 538), Sabetti (Th. Mor. n. 576), Bucceroni (Th. Mor. t. II. de posit. cler. obligat. n. 59), etc.

Immo plures ex antiquis qui opinionem illam tamquam laxiorem reprobandam, talia ponunt principia ut eam hodie admittere deberent. Ita Suar. (de Relig. tr. 4. l. 4. c. 27. n. 14) concedit Matutinum et Laudes toto anni tempore incipi posse ab hora quarta, quia Vesperae et Completorium publice recitari solebant inter horam tertiam et quartam pomeridianam, neque discrimen faciendum inter hiemem et aestatem "cum distantia usque ad mediam noctem et antepositio eadem sit, et ratio D. Th. in utroque tempore aequaliter procedat." Hodie igitur, cum Vesperae et Completorium ab hora secunda publice recitari soleant vel saltem possint, Suarez jam conclusionem benigniorem admittere deberet. Notandum insuper illis temporibus (Suar. l. c. n. 13) RR. PP. non nisi cum magna difficultate et ex causa non levi licentiam incipiendi Matutinum ab hora secunda concessisse: quae ratio Eximium Doctorem praecipue movit ne illud passim licere diceret. Nostris vero diebus jam facile integris ordinibus et dioecesibus eadem facultas tribuitur. Ita, teste Sabetti (l. c.), fere omnibus sacerdotibus in Stat. Foed. communicari solet.

3<sup>o</sup> S. C. R. (13 Jul. 1883) interrogata: "An praedicta responsio (nempe 16 Martii 1876) ita intellegenda sit ut ille non satisfaciatur obligationi suae, qui Matutinum cum Laudibus vespere diei praecedentis recitasset, priusquam sol medium cursum teneret inter meridiem et occasum.", respondit: "Consulantur probati auctores." Cujus responsi sensum ita optime elucidat Ball. P. (n. 247): "Res est in facto posita probatos auctores eosque non paucos censere posse hora secunda a meridie satisfieri obligationi recitationis Matutini diei sequentis. Ergo, e sententia S. Congr., licet horum amplecti sententiam, nec est, hac facultate facta a S. Congr., in ullius privati auctoritate situm, hanc praxim reprobandam et damnare, quidquid ipse speculative sentiat et